



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum homo accusare teneatur? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

¶ Tertio, quomodo accusatio fit vitiosa?

¶ Quarto, qualiter malè accusantes sint puniendi.

ARTIC. I.

*Virum homo teneatur ad accusandum?*

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quòd homo non teneatur ad accusandum. Nullus enim excusatur ab impletione diuini præcepti propter peccatum: quia iam ex suo peccato commodum reporta- ret. Sed aliqui propter peccatum redduntur inhabi- les ad accusandum, sicut excommunicati, infames, & illi qui sunt de maioribus criminibus accusati, prius- quam innoxij demonstrantur. Ergo homo non tene- tur ex præcepto diuino ad accusandum.

381

¶ 2 Præterea, Omne debitum ex charitate de- pender, quæ est finis præcepti. Vnde dicitur Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem dili- gatis. Sed illud quod est charitatis, homo debet om- nibus maioribus & minoribus, subditis & prælatis. Cum ergo subditi non debeant prælatos accusare, nec minores suos maiores, vt per plura capitula pro- ba:ur\*, 2. quæst. 7. videtur quod nullus ex debito te- neatur accusare.

2. q. 7. per  
multa c.

¶ 3 Præterea, Nullus tenetur contra fidelitatem, agere, quam debet amico: quia non debet alteri facere, quod sibi non vult fieri. Sed accusare ali- quem quandoque est contra fidelitatem, quam quis debet amico: dicitur enim Proverb. 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum. Ergo homo non tenetur ad accusandum.

SED contra est, quòd dicitur Leuit. 5. Si peccau- rit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fue- rit quòd aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indica- uerit, portabit iniquitatem suam.

RESPONDEO dicendum, quòd supra dictū \* est, hæc est differentia inter denuntiationem & accusa- tionem: quod in denuntiatione attenditur emendatio fratris; in accusatione aut attenditur punitio criminis.

aq. 23. 6.  
c. 7. c.  
q. præc. 8.  
3. ad 2.

Pœnæ

Pœna autem præsentis vitæ non per se expetuntur, quia non est hic ultimum retributionis tempus; sed in quantum sunt medicinales conferentes, vel ad emendationem personæ peccantis, vel ad bonum reipublicæ, cuius quies procuratur per punitionem peccantium. Quorum primum intenditur in denuntiatione, ut dictum est: secundum autem propriè pertinet ad accusationem. Et ideo si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris: puta cum peccatum alicuius vergit in multitudinis corruptelam corporalem, seu spiritualem. Si autem non fuerit tale peccatum quod in multitudinem redundet, vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, non tenetur ad intentandum accusationem: quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet, per peccatum reddi aliquem impotentem ad ea quæ homines facere tenentur, sicut ad merendum vitam æternam, & ad assumendum ecclesiastica sacramenta. Nec tamen ex hoc homo reportat commodum; quinimo deficere ab eis, quæ tenetur facere, est gravissima pœna: quia virtuosæ actus sunt quædam hominis perfectiones.

Ad secundum dicendum, quod subditi prælatos suos accusare prohibentur, qui non affectione charitatis, sed sua prauitate vitam eorum diffamare & reprehendere querunt. Vel etiam si subditi accusare volentes fuerint criminosi, ut habetur \* 2. q. 7. Alioquin si fuerint aliàs idonei ad accusandum, licet subditis ex charitate suos prælatos accusare.

Ad tertium dicendum, quod reuelare secreta in malum personæ, est contra fidelitatem: non autem si reuelentur propter bonum commune, quod semper præferendum est bono priuato. Et ideo contra bonum commune, nullum secretum licet recipere.

Nec

2. q. 7. c.  
sterius.  
et in seq.  
tribus c.

Nec tamen omninò est secretum quod per sufficientes testes potest probari.

ARTIC. II.

*Utrum sit necessarium accusationem in scriptis fieri?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quòd non fit necessarium accusationem in scriptis fieri. Scriptura enim adinuenta est ad subueniendum humane memoriæ circa præterita. Sed accusatio in præsentem agitur. Ergo accusatio scriptura nõ indiget.

¶ 2 Præterea, \* 2. q. 8 dicitur, Nullus absens accusare potest, nec ab aliquo accusari. Sed Scriptura ad hoc videtur esse utilis, ut absentibus aliquid significetur, ut patet per \* August. 10. de Trinit. Ergo in accusatione non est necessaria scriptura, præsertim cum canon dicat, quòd per scripta nullius accusatio suscipiat.

¶ 3 Præterea, Sicut crimen alicuius manifestatur per accusationem; ita per denunciationem. Sed in denunciatione non est scriptura necessaria. Ergo videtur quòd neque etiam in accusatione.

S E D contra est, quod dicitur \* 2. q. 8. Accusatorum personæ sine scripto numquam recipiantur.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est, quando in criminibus per modum accusationis agitur, accusator constituitur pars, ita quòd iudex inter accusatorem, & eum qui accusatur, medius constituitur ad examen iustitiæ: in quo oportet, quantum possibile est, secundum certitudinem procedere. Quia verò ea quæ verbo tenus dicuntur, facile labuntur à memoria, non posset iudici esse certum quid & qualiter dictum sit, cum debet proferre sententiã, nisi esset in scriptis redactum. Et idèõ rationabiliter institutum est, ut accusatio, sicut & alia quæ in iudicio aguntur, redigatur in scriptis.

Ad primum ergo dicendum, quòd difficile est singula verba (propter eorum multitudinem & varietatem) retinere; cuius signum est, quòd multi eadem

382  
4. d. 19. q. 0  
2. a. 3. q. 0  
1. ad 4. 0  
C. d. 35. 0  
a. 3. ad 6. 0  
C. quol. 0  
11. a. 13. 0  
10. 0  
\* 2. q. 8. c. 0  
per scri- 0  
pta. 0  
ca. 1. ali- 0  
quantulũ 0  
à princ. 0  
10. 3. 0  
2. q. 8. c. 0  
accusato- 0  
rum. 0  
ar. præc. 0  
C. quæst. 0  
præc. n. 3. 0